



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

88. An pollutio, vel fornicatio occulta habeat in Ecclesia sit sacrilegium? Ex  
p. 7. tract. 11. & Misc. 2. res. 31.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



dicit, vt patet, non violatur Ecclesia, neque per illos impediuntur diuina Officia: ergo tales actus, etiam turpes non erunt sacrilegij, neque continebunt circumstantiam in Confessione detegendam.

3. Post hæc scripta, inueni sententiam Suarez, & aliorum, docere, etiam ex neotericis, Raphaëlem de la Torre in 2. 2. 10. 2. quæst. 99. art. 3. disp. 7. vbi quærit, quando sacrilegia pertinentia ad actus turpes in Ecclesia sint peccata mortalia: & respondet, esse mortalia in fornicatione, pollutione, & tactibus impudicis in partibus inhonestis, & idè apertenda in Confessione. Sed nostra opinio tuto praticari potest. Proxima dubitationi ista non dissimilis methodo fit adiuncta.

RESOL. LXXXVII.

An pollutio occulta facta in Ecclesia contineat sacrilegij malitiam, necessario in sacra confessione manifestandam?

Idem queritur de fornicatione. Ex part. 1. tractat. 7. Ref. 26.

§. 1. **L**iceat sententiam affirmatiuam cum verbis Raphaëlis de la Torre incipere. *Is in 2. 2. D. Th. tom. 2. q. 99. art. 2. disp. 7. sic ait:* [Secundus gradus sacrilegij in loco sacro continet actiones fornicitatis in Ecclesia exercitas: quod quidem limitant ad fornicationem publicam, videlicet, per facti euidentiam, eo modo, quo talia crimina sciri possunt, vel iuridicam probationem, aut rei confessionem. At verò si fornicatio sit occulta, aiunt, non esse sacrilegium, nec eam circumstantiam loci sacri, esse necessariam apertendam in Confessione. Sed hæc sententia falsa mihi videtur: quia talis fornicatio contrariatur, etiam secluso omni iure positivo, sanctitati Ecclesie, non solum propter malitiam eam, quam includit, verum etiam propter feceritatem actus, cuius turpitudine, etiam si nullum esset peccatum, sanctitati Ecclesie, & eius munditiei repugnans est. Eandem sententiam prius etiam docuerat Suarez de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 7. n. 4. primò, quia, licet fornicatio non violet Ecclesiam actu, vt sic dicam, & in foro Ecclesie, quando occulta est; tamen Ecclesia suo præcepto non prohibet tantum seminationem illicitam in Ecclesia, sed simpliciter feminis emissionem voluntariam. Et hinc est, quod, licet in principio, talis actus occultus non polluat Ecclesiam; nihilominus, si postea fiat publicus, incipit Ecclesia esse polluta. Ergo à principio, actus ille fuit culpabilis contra Ecclesie prohibitionem: quia culpa non pendet ex futuro euentu; nimirum, an fornicatio illa sit aliquando futura publica, necne; & actus ipse de se polluit sufficienter. & idè est contra specialem prohibitionem Ecclesie,] Hæc Suarez, quem sequitur etiam Sanchez de matr. tom. 3. lib. 9. disp. 1. §. n. 11. & Bonac. de matr. q. 4. punct. vlt. n. 7. & alij.

2. Sed non reticebo, negatiuam sententiam, quam fallam vocauit Raphaël de la Torre; tanquam probabilem, amplexum esse Gabrielem Valquez in p. 2. tom. 1. q. 7. 2. art. 7. disp. 98. c. 3. num. 6. Accipe eius verba: [Ex dictis colligitur, frustra aliquos torqueat in assignanda ratione, ob quam blasphemare, vel loqui turpia in loco sacro, præter malitiam, quam habent in alio loco, non habeant malitiam peculiarem ex loco sacro: ratio enim facilis est: quia, nimirum, lege humana non est ita statutum, vt blasphemia, vel turpi sermone locus sacer prophanetur, sicut de pollutione definitum est; idèque illis peccatis non inferitur peculiaris iniuria loco sacro, qualis inferitur pollutione, aut sanguinis effusione. Vbi

Tom. 1.

etiam obseruandum est, satis probabile videri, non esse peculiare peccatum sacrilegij, cum effunditur semen occultè in Ecclesia: quia, secundum sententiam communem, quam sequuti sumus in tractatu de violatione Ecclesiarum, tantum violatur locus sacer pollutione notoria: si ergo hæc effusio èd tantum est sacrilegium; quia locus sacer ea profanatur, & tollitur consecratio, aut benedictio; quia nulla alia ratio est, vt speciale peccatum sit; sit, vt notoria tantum effusio speciale peccatum sacrilegij sit.] Hæc Valquez, quem nouissimè sequitur Basilius Pontius de matr. lib. 1. c. 1. n. 15. Vnde probabiliter puto, hæc circumstantiam, non esse in Confessione apertendam, licet contrariam sententiam probabiliorem existimem, quam contra Valquez docet Tannerus id par. 2. D. Thomæ disp. 4. q. 2. dub. 3. n. 4. 2.

RESOL. LXXXVIII.

An pollutio, vel fornicatio occulta in Ecclesia sit sacrilegium? Ex part. 7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 31.

§. 1. **N**egatiuam sententiam esse probabilem saltem ex principio extrinseco, quia illam docuerunt duo lumina Theologiae Scholasticæ & Moralis, Valquez & Pontius alibi docuissent quidam Religiosus contra me olim infurrexit, asserendo me non debuissè dictam sententiam admittere, sed immeritò. Et idè me citato tanquam probabilem dictam sententiam admittit Ioannes Caramuel in Regulam D. Benedicij disp. 66 n. 1017. vbi sic ait: Rogas vtrum fornicatio & pollutio, aut quæcumque alia non naturalis carnis commixtio habita secretè in Ecclesia, sit sacrilegium, & hoc debeat in confessione explicari? Respondeo esse probabile quod non. Ratio est; Quia actus interiores sunt liberi à directa gubernatione Ecclesie, illosque nequit interdicerè, quia nequit agnoscere. Ita omnes Doctores boni nominis. Atqui actus exteriores secreti prout tales, participant eandem rationem, nam illos non potest Ecclesia cognoscere: Ergo, de istis non veniunt intelligenda iura.

2. Dices, actibus exterioribus esse accidentale secretum; si enim quispiam eos vidisset, posset publicare. An non eodem modo actus internos, si quis vidisset, posset publicare: & Angeli, & Dæmones vident, & sæpe publicant. Vnde sic multi philosophandum docent, sic concludunt. Actus externi secreti, si essent publici, cognoscerentur ab Ecclesia. Ergo si isti essent publici, posset interdici: non sunt; ergo interdici nequeunt. Vide, vtram consequentia satis legitime inferatur, & pro scientia tua in hac doctrina iudica; ista enim omnia ex meis principiis inferuntur. Sed Nihilominus, quidquid sit de efficacia huius rationis, quæ videtur difficilis de quo nihil definio; sententia illa Pontij & Valquez est in praxi probabilis ratione auctorum. Hucusque Caramuel, & hæc sententiam tanquam probabilem etiam me citato admittunt nouissimè Ioann. Machadus de Perfecto Confess. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 4. docum. 3. num. 11. & Trullench in Decalogum, tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 7. num. 7. licet asserant contrariam esse probabiliorem, tutiorem & communiorem quod ego etiam adnotaueram ante ipsos.

RESOL. LXXXIX.

An pollutio occulta in Ecclesia habeat malitiam sacrilegij in confessione explicandam?

Ex quo colligitur ratio, ob quam blasphemare, vel loqui turpia, offensa, & tactus in Ecclesia, non habent

K k

Alibi in Ref. præterita & in Ref. seq. & lege etiam doctrinam aliarum Ref. & §. eius prius not.